

fat, id est reperiuntur in vno duo metal-
la, chalybs mas, & fœmina ferrum, quæ
separari possunt in suum vsum, vtrumq;
seorsim. Aurum generatur ex purissi-
mo sulphure summè per naturam subli-
mato, & ab omnibus fecibus atq; spurijis
repurgato, ad tantam diaphanitatem ex-
altato, vt nullum inter metalla corpore
possit altiùs ascendere. Sulphur hoc, est
vna pars auri materiæ primæ, quod qui-
dem si possent Alchimistæ habere, vt et-
iam in arbore sua radiceq; bene reperibi-
le, meritò gaudere possent; nam est ve-
rum sulphur philosophorum ex quo fit
aurum, non illud alterum ex quo ferrum
fit cuprum, &c. Hic est scrupulus sui vni-
uersalis. Eius mercurius etiam est à natu-
ra summè separatus ab omni terrestri &
accidētali superfluitate, seorsim in suam
partem mercurialem, & in extremã per-
spicuitatem transmutatus, qui philoso-
phorum mercurius, est secunda pars au-
ri primæ materiæ, ex qua generatur
aurum. Postremò sal est tertia primæ
materiæ pars auri, & ex arbore, ex qua
aurum nasci deberet velut ex rosarum